

secundum sonum canpanele, etiam sub pena unius grossi pro camarario et qualibet vice contrafacta, salvo iusto impedimento.

Cap. XII. Rubrica de electione procuratoris generalis comunis. Et eius notario et offitio notarii. R.ca.

5

Ordinamus quod in electione generalis procuratoris comunis Tergesti procedatur in hunc modum: videlicet quod octo diebus ante exitum veteris procuratoris comunis Tergesti dentur sex breves in maiori consillio pro sex procuratoribus eligendis et tres breves pro tribus eorum notariis eligendis, et quicumque habuerit ex dicti brevibus eligere debeat suum procuratorem et unum suum notarium meliorem quem crediderit pro utilitate comunis Tergesti, et tam ipsi procuratores quam notarii sic electi balotentur in dicto maiori consillio ad piscides et balotas singuli, scilicet unus contra alium, et ultimus procurator qui optinebit sit firmus procurator comunis et ultimus notarius qui optinebit sit firmus eius notarius. ¶ Et nullus qui esset daciarius becharie tabernarie vel salis possit esse procurator generalis comunis, et si reperiretur infra unum annum daciarium fuisse, procurator cadat ad pena[m] libr. quinquaginta par. sine remissione. Et durent in dicto offitio per quatuor menses.¹⁾ ¶ Et habeat procurator comunis pro suo salario dictorum quatuor mensium libr. viginti par., et eius notarius libr. sexdecim par. ¶ Qui notarius procuratoris scribere // debeat et teneatur omnes redditus et possessiones comunis, et omnes introitus et exactiones et exitus comunis, tempore offitii dicti procuratoris per ipsum procuratorem receptos et datos camarario comunis, in duobus quaternis consimilibus, quorum unum dare debeat dictus procurator in manibus domini potestatis vel vicarii loco domini potestatis, in quo quaterno domini potestatis scribere debeat eadem die qua receperit introitus exactiones et exitus predictos, al(i)ter vero remanere debeat dicto procuratori. ¶ Et etiam scribere debeat

27 B

25

30

¹⁾ mensis.